Programm

des

Königlichen Gymnasiums zu Kreuznach,

wodurch zu der

öffentlichen Prüfung und der Abiturienten-Entlassung

am 29. und 31. August und 1. September 1868

im Namen des Lehrer-Collegiums

ehrerbietigst einladet

Dr. Gustav Wulfert,
Director.

Inhalt:

Kreuznach, 1868.
Fr. Wohlleben'sche Buchdruckerei.

In

Sophoclis de natura hominum doctrina

MULTA INESSE,

quibus adducamur ad doctrinam Christianam.

Scripsit

C. F. WASSMUTH.

Crucenaci, 1868.

Typis Fr. Wohlleben.

Inter Christianos jam primis seculis exstitisse constat, qui Christianorum animos a studiis librorum Ethnicorum avocandos esse censerent; neque enim posse fieri quin scriptores classicos[a] legendo adolescentium mentes perversis de divinis rebus opinionibus imbuerentur. Atque etiam hac aetate sunt, qui quum discipulis gymnasiorum nostrorum linguae latinae graecaeque usum necessarium esse negare non audeant, melius tamen eorum saluti consultum iri existiment, si iis non scriptorum classicorum, sed patrum ecclesiasticorum libri, quos perlegant et pertractent, proponantur. Quo enim dulciora sint poëtarum classicorum carmina, quo magis auribus blandiantur, eo magis verendum esse, ne adolescentes, iis illecebris irretiti, pestiferum quoddam venenum ex iis hauriant, ne initia fidei Christianae ex teneris adolescentium animis radicitus evellantur. Contra quos non pauci patres ecclesiastici, iique acerrimi fidei Christianae propugnatores, et ipsi multum operae in studiis philosophorum antiquorum collocaverunt et Christianos, ne contemnerent ea studia, adhortati sunt. Ex quibus quantum utilitatis in Christianos discentes redundaret, saepissime, ut ex magno numero paucos auctores hoc loco commemorem, **Justinus Martyr**, Clemens Alexandrinus,[b] Origenes, Basilius Magnus, **Gregorius Nazianzenus**,[c] Chrysostomus, alii testati sunt.[d] Atque hoc litterarum

---

a) Hoc vocabulum, quod ego sciam, primus Gellius Noct. Attic. XIX, 8 a civibus ad scriptores optimos optimo jure transtulit.

b) Schürmann: Die hellenische Bildung und ihr Verhältniß zur christlichen nach der Darstellung des Clemens von Alexandrien. Münster 1859. Schulprogr.

c) Riepl: Des heiligen Gregor von Nazianz Urtheil über die klassischen Studien und seine Berechtigung dazu. Linz 1859. Schulprogr.

d) Neander: „In der griechischen Kirche war es, wie man aus dem Beispiele eines Basilius von Cäsarea, eines Gregor von Nazianz ersieht, üblich, daß auch solche Jünglinge, die nach dem Wunsche ihrer Familien sich einst dem Dienste der Kirche weihen sollten, die allgemeinen blühenden Bildungsschulen zu Athen, Alexandria, Constantinopel und Cäsarea in Kappadocien und Cäsarea in Palästina besuchten. Dann lebten sie eine Zeitlang in der Beschäftigung mit der alten Literatur. Jene allgemeine

praesidio ut Christiani spoliarentur, Julianus Apostata, quum Imperatores rem Christianam ferro atque igni opprimere frustra conati essent, potius consilio quam vi utendum esse ratus, Christianos liberales artes docere ac discere vetuit.[a] Qua arte sperabat callidus ille Imperator se effecturum, ut doctrina Christiana tanquam rivulus fonte obstructo paullatim inaresceret.

Lutherum, Melanchthonem studia litterarum antiquarum summo amore amplexos esse, doctrinam Christianam, subsidiis artium liberalium destitutam, vacillare existimasse, iterum iterumque repetentes, ne negligerentur studia artium liberalium, monuisse inter omnes constat.[b] Quibus litterarum antiquarum studiis, identidem dicit Melanchthon,

literarische Vorbildung hatte einen vortheilhaften Einfluß auf ihre theologische Geistesrichtung, welche eine mehr wissenschaftliche wurde und von manchem Beschränkten sich frei machte; und dadurch ging auch mancher Vortheil auf ihre Wirksamkeit als Kirchenlehrer über, wie es sich uns zeigt, wenn wir die auf solche Weise gebildeten Bischöfe mit den nicht so gebildeten vergleichen." Allgemeine Geschichte der christlichen Religion und Kirche. Bd. I. S. 494. Gotha 1856.

a) Sic tradit Augustinus de Civitate Dei XVIII, 52, cfr. Riepl p. 13. Ammianus Marcellin. XXV, 4: „Illud inclemens", inquit, „quod docere vetuit magistros rhetoricos et grammaticos Christianos, ni transissent ad numinum cultum", cfr. XXII, 10; Chrysostomus in Homilia 40 in Juventinum et Maximum: ἰητροὺς καὶ στρατιώτας καὶ σοφιστὰς καὶ ῥήτορας ἅπαντας ἀφίστασθαι τῶν ἐπιτηδευμάτων, ἢ τὴν πίστιν ἐξομνύναι ἐκέλευσεν. Verum quidem est, non hoc voluisse Ammianum, omnino juventutem erudiri vetuisse Julianum, sed eos, qui Rhetoricam et Grammaticam profiterentur, si Christiani essent, jure docendi et salariis exclusisse, cfr. Wagner ad Ammian. XXII, 10. Sed si Julianus Christianos a jure docendi exclusit, fieri necesse erat, ut iidem vulgo artes liberales discere desinerent. Vix enim reperiuntur, qui artem discant, quam non sperent se exercere aut docere posse.

b) Luther: „Niemand hat gewußt, warum Gott die Sprachen hervor ließ kommen, bis daß man nun allererst siehet, daß es um des Evangelii willen geschehen ist. So lieb nun als uns das Evangelium ist, so hart lasset uns über den Sprachen halten. Und lasset uns das gesagt sein, daß wir das Evangelium nicht wohl werden erhalten ohne die Sprachen. Die Sprachen sind die Scheide, darinnen dies Messer des Geistes stecket; sie sind der Schrein, darinnen man dies Kleinod traget. Ja, wo wir dies versehen, daß wir (da Gott vor sei) die Sprachen fahren lassen, so werden wir nicht allein das Evangelium verlieren, sondern wird auch endlich dahin gerathen, daß wir weder Lateinisch noch Deutsch recht reden noch schreiben können. Des laßt uns das elende greuliche Exempel zur Beweisung und Warnung nehmen in den Hohen Schulen und Klöstern, darinnen man nicht allein das Evangelium verlernet, sondern auch lateinische und deutsche Sprache verderbet hat, daß die elenden Leute schier zu lauter Bestien worden sind, weder Deutsch noch Lateinisch recht reden oder schreiben können, und beinahe auch die natürliche Vernunft verloren haben". An die Bürgermeister und Rathsherren allerlei Städte in Deutschen Landen. Luther's Werke Hallesche Ausgabe. Th. X. Seite 548.

Melanchthon in sermone habito apud juventutem Academiae Witebergensis, de corrigendis adolescentiae studiis, a. 1518 (Corpus Reformatorum ed. Bretschneider Vol. XI. p. 22): „In ea sum

primum et scientiam judicandi de rebus humanis et facultatem dicendi optime parari. „Saepe enim monui“, inquit, „ita instituendum esse animum, ut duas has virtutes, „scientiam judicandi de rebus humanis et facultatem dicendi, meminerit sibi omnibus „nervis parandas esse. Et ad has, tanquam ad scopum, oportet referri vigilias, lucu-„brationes, denique studia omnia. Nam qui aut non formarunt judicium litteris, ut „intelligant rerum ac morum discrimina, quaeque in bonis, quae in malis ducenda sint, „aut non possunt ea, quae sentiunt, perspicuo sermone docere, hi mihi praeter corporis speciem nihil humani habere videntur“. Deinde in libris scriptorum classicorum multa inesse, quibus mores formari possint, animi legentium ad amorem veri atque honesti inflammari. „Proinde sic statuamus“, inquit, „nihilo minus divina praecepta

plane sententia, ut qui velit insigne aliquid vel in sacris vel foro conari, existimem parum effecturum. ni animum antea humanis disciplinis (sic enim Philosophiam voco) prudenter et quantum satis est, exercuerit. Ex optimis optima elige, eaque quum ad scientiam naturae, tum ad mores formandos attinentia. In primis hic eruditione Graeca opus est, quae naturae scientiam universam complectitur, ut de moribus apposite ac copiose dicere queas. Plurimum valent Aristotelis Moralia, Leges Platonis, Poëtae, atque ii sane, qui et optimi sunt, et in hoc legi possunt, ut animos erudiant“.

Id. in Encomio Eloquentiae (C. R. Vol. XI. p. 62): „Sunt non parum multi praesertim hoc tempore, qui bonorum cursum morantur; hi ad Theologicarum litterarum tractationem negant dicendi artium scientiam conducere. Plurimi ne non valde theologicari videantur, humaniores disciplinas omnes contemnunt. Ego vero serio illos theologicari optarim eaque praestare, quae Christianam mentem decent. Nunc video theologicum nomen ignaviae tantum praetexi, ceterum nihil minus esse quam quod profitentur. Nam dum piget elegantiam discere seque difficillimis scriptoribus evolvendis exercendoque stilo macerare, neque enim ullarum litterarum cognitio sine acri studio contingit, si quando domum bene poti rediere, conciunculam aliquam legunt, inde ubi decerpserint quae stomachum faciunt, passim in conviviis, nam ibi potissimum sapiunt, declamant: et quia vulgus applaudit, jam vero sibi tantum non absolute Theologi videntur“.

Id. C. R. Vol. XI. p. 280: „Omnino Ilias malorum est inerudita Theologia. Est enim confusanea doctrina, in qua magnae res non explicantur diserte, miscentur ea quae oportebat sejungi, rursus illa quae natura conjungi postulat, distrahuntur: saepe pugnantia dicuntur, vicina arripiuntur pro veris ac propriis. Nihil in ea doctrina cohaeret, non initia, non progressiones, non exitus cerni possunt. Talis doctrina non potest non gignere infinitos errores, infinitam dissipationem, quia in tanta confusione alius aliud intelligit, et dum suum quisque somnium defendit, existunt certamina et dissensiones. Interim conscientiae relinquuntur ambigentes. Et quia nullae Erinyes vehementius cruciant animum, quam haec dubitatio de religione, tandem odio quodam abjicitur universa religio, et fiunt mentes profanae et Epicureae. Quum igitur tantum habeat mali inerudita Theologia, facile judicari potest, Ecclesiae opus esse multis magnis artibus“.

„esse ea, quae a sensu communi et naturae judicio mutuati docti homines gentiles „litteris mandarunt, quam quae exstant in ipsis saxeis Mosi tabulis. Est enim in con„fesso, humanae menti divinitus insculptas esse quasdam leges de moribus, quales sunt: „Neminem laedendum esse: colendos esse parentes: bene merentibus habendam esse „gratiam etc.“[a]

Atque hoc Melanchthonis judicio fretus ego ex Sophoclis tragoediis aliquot locos eligere conabor, qui in hoc poëta, quem tanquam optimum affectus hominum suavissime[b] pingendi artificem quam tota antiquitas admirata sit, quamque eo delectata, longum est hoc loco exponere, multa inesse probent, quae a puriori de rebus divinis humanisque doctrina non longe abhorreant, quaeque ita sint comparata, ut animi legentium ad acerrimum et veri et pulchri et honesti amorem accendantur. Aggrediar ad rem, saepissime a viris doctis uberius pertractatam; multi enim, quae Sophoclis de theologia et de rebus ethicis fuerint sententiae, jam exposuerunt.[c] Quapropter ego rem ita instituam, ut ex Sophoclis sententiis ethicis quosdam eligam locos, qui haud scio an adolescentium animos maxime alliciant. Ac si quis latinae linguae usus minus peritus ad hoc scriptum animum advertat, ut habeat quo delectetur, ex iis quos ad rem confirmandam afferam locis quosdam poëtae versus et sententiarum gravitate et orationis pulchritudine maxime insignes addam, quemadmodum in vernaculam linguam transtulit Donner, praestantissimus poëtarum graecorum interpres.

Ac primum quidem Sophocles in omnibus tragoediis luculentissime nobis depingit, quam res humanae fragiles caducaeque sint plenaeque laborum et miseriarum. Qua in arte rerum humanarum fragilitatem splendidissime describendi nemo omnium Graecorum superat Sophoclem.[d] Cujus rei ut nonnulla exempla afferam, quid miserius est Ajace? Quem quum mortuum Agamemnon sepeliri vetuisset, inimicus ipse Ulysses ab ea injuria defendit: Ajacem bonum virum, omnium Graecorum

---

a) Matthes: Philipp Melanchthon S. 398.

b) Propter suavitatem sermonis Sophocli nomen Ἀτϑὶς μέλισσα a veteribus inditum est; Cicero de Divinat. I, 25 eum doctissimum dicit hominem, poëtam quidem divinum.

c) Ex recentioribus nomino: 1. Fittbogen: De Sophoclis sententiis ethicis. 2. Lübker: Die Sophokleische Theologie und Ethik. 3. Nägelsbach: Die Nachhomerische Theologie des griechischen Volksglaubens bis auf Alexander. 4. Trenke: Die religiösen und sittlichen Vorstellungen des Aeschylos und Sophokles.

d) Döllinger: „Kein Volk hat das Unbefriedigende, Trostlose des irdischen Daseins, das allgemeine Elend der Menschen lebhafter empfunden, stärker kund gegeben, als das der Griechen.“ Heidenthum und Judenthum S. 266.

secundum Achillem, fortissimum fuisse,[1]) Ulysses testatur. Qua pietate Ajax sit erga parentes filiumque, ex ipsius verbis cognoscimus, quibus filium Teucri fratris tutelae commendat.[2]) Idem, cujus prudentiam et fortitudinem Minerva ipsa eximie laudat,[3]) vesania correptus rem maxime ridiculam suscipit: bubus trucidatis inimicos ultus esse, Agamemnonem ipsum occidisse sibi videtur. Quae res tam luctuosum praebet spectaculum, ut Ulysses, tanta miseria commotus, omnes mortales instar vanorum simulacrorum et levium umbrarum esse exclamet.[4]) Atque haec miseria ea re augetur, quod Ajax postea, ad sanitatem reversus, quum se despicatui omnibus hominibus esse intelligat, ut se ipsum occidant, implorat socios.[5]) Quam flebiliter Ajax fortunam suam adversam lamentatur![6]) Vita ei tam intolerabilis est, ut mortem sibi ipse consciscat: in ferrum irruit, postquam diras poenas Atridis imprecatus est, supremumque vale parentibus, patriae dixit tam tenera tamque venusta oratione,[7]) ut multi poëtae postea imitati sint.[a]

Electra, filia Agamemnonis, potentissimi regis, qui Troja capta in patriam reversus domi suae ab uxore et ejus adultero Aegistho securi percussus est, sortem miseratur miserrimam per longam seriem annorum.[8]) Namque acerrimo odio patris percussores, in quorum aedibus ludibrio habetur, persequitur, eademque cupiditate ardet incredibili patris mortem ulciscendi, sed Orestis fratris, quem ad hanc rem servaverat, in patriam reditum diu frustra exspectat,[9]) quin etiam, postquam frater jam in patriam rediit, falso nuntio eum perisse quam maxime commovetur.[10]) Atque ita in hac tragoedia Sophocles generis humani imbecillitatem et fragilitatem optime depingit: ab una parte virginem patris mortem acerbissimam maxime lugentem, odio matris flagrantem, ab altera parte reginam[11]) et sceleris conscientia, quod propter patris crudelitatem, qui suam filiam pietatis officiorum immemor immolaverit, suo jure commisisse sibi videtur,[b] excruciatam et filiam absentemque filium tanquam sceleris sui vindices metuentem.

In Trachiniis conspicimus Deianiram, Herculis, herois clarissimi fortissimique uxorem, in perpetuo malorum timore versantem,[13]) Herculem ipsum, qui per totam vitam maximos labores bene exantlavit, postremo acerrimis vexatum doloribus,[14]) quorum

---

a) Schneidewin: „Aias scheidet vor dem Todesstreiche mit einem Anfluge von Humor in einem berühmten, von neuern Dichtern öfter nachgebildeten Monologe vom Leben". Einleitung zum Aias S. 12.

b) **Schneidewin de Electra praefatur p. 16:** „Klytämnestra fühlt das Bedürfniß das aufgerüttelte Gewissen durch sophistische Selbsttäuschung zu beruhigen." **Optime quidem Electra argumenta, quibus mater filiae criminationes propulsare studet, refellit;[12]) sed aliquid probabile in Clytaemnestrae excusatione inesse Sophoclem voluisse ego non negaverim. In hac enim tragoedia quae et patriae et liberorum necessitudini debentur officia ita inter se confligunt, ut, pietate liberorum ab Agamemnone postposita, pro naturae humanae imbecillitate etiam bonae indolis matrem ad tantum scelus adigi potuisse poëta indicasse mihi videatur.**

causa ipsa uxor est, quippe quae, Nessi Centauri fraude decepta, uxori vestem veneno intinctam miserit. Qua arte se sibi uxoris amorem sperat conciliaturam, eadem ei mortem parat. Itaque quam vana sint mortalium consilia Deo adversante, haec tragoedia egregie ostendit.[a]

Quid, quod Philoctetes, Herculis comes, a quo divinas illas sagittas acceperat, sagittandi arte celebratus, qui cum principibus Achivorum ad oppugnandam Trojam septem navibus navigabat, in itinere morsu serpentis vulneratus, quum Achivi ex vulnere tetrum odorem ferre non possent, jussu Agamemnonis Lemni relictus est, in insula deserta? Quam tristem ibi Philoctetes degit vitam per longam seriem annorum, acerrimis corporis doloribus vehementissime cruciatus,[b] procul a patria, a societate hominum, a bellicae laudis communione, aegerrime ea parans, quae ad victum tenuem suppeditent![15]) Luculentum miseriarum humanarum exemplum!

Sed nunc venimus ad illas tragoedias, in quibus omnium maxime conspicua est rerum humanarum fragilitas, Oedipum Tyrannum dico, Oedipum Coloneum, Antigonen, quibus tragoediis nobis Sophocles admirabili arte miserrimam Labdacidarum sortem depingit. Nihil Oedipo Tyranno aptius est ad miserationem metumque et spectantibus et audientibus injiciendum, in quibus potissimum affectibus tragoediam versari vult Aristoteles.[c] Laius, Thebanorum rex, oraculo neglecto ex Jocaste uxore Oedipum procreaverat: quem infantem servo cuidam conficiendum parentes tradiderunt. Oraculum enim editum erat, Laium sui filii manibus periturum. Sed servus ille, misericordia commotus, puerum pastori cuidam Corinthio tradidit, qui Oedipum

---

a) Schneidewin: „Auch das jähe Verderben des Herakles und der Deianira bringt den Willen der Götter zu Ehren, und auch dieses Drama schärft auf eine ergreifende Weise ein, daß der Mensch denkt, Gott lenkt."

b) Apud Sophoclem et Herculi et Philoctetae corporis dolor lamentationem atque ejulationem lacrimasque extorquet; apud Homerum non raro heroes vulnerati cum ejulatione concidunt, Dii ipsi, Venus et Mars, vulnerati ingentes edunt clamores (Il. E, 343. 849). Quam rem Graecis poëtis suo jure non indignam viris fortibus visam fuisse, Lessingius optime exponit in Laocoonte (Ed. Lachmann. Vol. VI. p. 375—380). Aliter hac de re judicatur apud Ciceronem Tusculan. II, 23: „Inprimisque refutetur ac rejiciatur Philocteteus ille clamor. Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro: ejulatus ne mulieri quidem".

c) Aristotel. Poëtic. c. VI: „Ἔστιν οὖν τραγῳδία μίμησις πράξεως σπουδαίας καὶ τελείας...... δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν". — Poëtic. c. XIV: „Δεῖ γὰρ καὶ ἄνευ τοῦ ὁρᾶν οὕτω συνεστάναι τὸν μῦθον, ὥστε τὸν ἀκούοντα τὰ πράγματα γινόμενα καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων· ἅπερ ἂν πάθοι τις ἀκούων τὸν τοῦ Οἰδίποδος μῦθον."

ad regem Polybum et ejus uxorem Meropen affert. Ab iis Oedipus educatur: Polybus et Merope eum se natum esse fingunt. Tum vero Oedipo adolescenti aliquando suspicio injicitur, ipsum non esse Polybi filium. Quum Polybus et Merope Oedipo hac de re quaerenti obscurius respondissent, Oedipus ad oraculum consulendum Delphos profectus est. Responsum tulit fore, ut suam matrem in matrimonium duceret, ex ea progeniem liberorum procrearet funestam, suum patrem occideret. Quam sortem ut evitaret, Corinthum non rediit: ambiguus consilii, quo se verteret, Delphis discessit. In itinere Laio occurrit, quem rixa orta occidit ira accensus: patrem suum a se occisum esse nescit. Tum Thebas accessit, quam civitatem illo tempore Sphinx, monstrum horrendum, vexabat. Cujus aenigma bene interpretatus Thebanos ab hac peste liberat: grati cives eum, nuntio accepto Laium a praedonibus in itinere occisum esse, regem creant: Jocasten uxorem ducit: ex ea quatuor liberi pariuntur. Per multos annos Oedipus Thebis optime regnat, a civibus omni laudum genere cumulatus. Tum vero pestilentia invasit populum: qua de re Oedipus Creontem ad Apollinem Delphos mittit: responsum est, Thebani Laii interfectorem, qui inter cives Thebanos esset, aut in exilium ejicerent aut necarent. Tum Oedipus rem summo studio explorari jubet: quantum operae ei rei Oedipus dederit, quam diras preces imprecatus sit interfectori, nescius diras exsecrationes ad se ipsum pertinere, quo dolore Oedipus affectus sit et Jocaste, quum tandem, postquam diu vanam spem se innocentes esse tenuerunt, res scelestas et incestas se invitos commisisse sentirent, admirabili arte poëta nobis explicat. Jocaste re manifesto comperta suspendio vitam finit: aureis fibulis uxoris Oedipus oculos sibi effodit. Itaque Oedipum, virum sagacitate praestantissimum, regem optimum, patrem summo amore filias suo casu asperrimis fortunae injuriis expositas amplectentem,[16]) a summo fortunarum fastigio in tantam videmus calamitatem praecipitatum, ut chorus neget mortalium quemquam beatum dici posse[17]).

Atque etiam in illa tragoedia, quae inscribitur Oedipus Coloneus, quamquam bonum habet exitum vitae Oedipus, Oedipum videmus varias et magnas perferentem acerbitates. Multis post detecta scelera annis, per quos Thebis commorabatur, senex, quum domi versari ei jucundum esset, iniquitate Creontis ex patria expulsus est: Antigone duce senex caecus, vili veste indutus, tenuem victum quaerens, Athenis appropinquat, ad Eumenidum lucum accedit; a Theseo benigne excipitur; sed sperantem, se Diis reconciliatum jam requiem malorum habiturum esse, Creon Thebas reducere vult invitum; etiam Polynices, qui a fratre expulsus est, patrem in suas partes trahere studet: seditio enim inter Oedipi filios orta est, bellum domesticum Thebis exarsit. Itaque etiam supremi vitae dies Oedipo magnis malis adeo perturbantur, ut et ipse Oedipus hominum fragilitatem acerbissime deploret et chorus „non nasci homini

longe optimum esse: proximum autem quam primum mori"[a] exclamet[18]), qua oratione nulla gravior est in fragilitate rerum humanarum depingenda.

Neque minus in Antigone, qua tragoedia omnium consensu nulla est praestantior, vitam humanam totam malis oneratam videmus. Polynice instigante Argivi Thebas oppugnaverant; Eteocles et Polynices mutuis vulneribus occiderant; Argivi repulsi erant: Creon Polynicen, qui impium bellum patriae intulerit, sepeliri vetat; Antigone soror fratrem sepelit; et Creon et Antigone optimo jure agere sibi videntur: ille enim causam publicam, Antigone quae mortuis debentur officia tuetur. Utrumque, quum acerrime suam quisque causam defendat, poena sequitur: Antigone ducitur ad supplicium; Haemon, Creontis filius, Antigonae sponsus, qui frustra patrem a duro consilio avocare conatus erat, sibi ipse mortem consciscit; qua re audita etiam Eurydice, Haemonis mater, se vita privat. Creon quidem a Tiresia monitus paullo ante Antigonae obitum et Antigonen a poena liberari et Polynicen sepeliri jusserat; sed frustra: Antigone enim jam e vita excesserat, qua ruina etiam Haemon obrutus est et Eurydice: eo miserior est Creontis fortuna, qui sero intellexerit, se divinis quibusdam legibus, quae menti humanae inscriptae sunt, violatis in civitatis dignitate tuenda modum excessisse.

Habemus quidem praeclarum illud carmen in Antigone, quo chorus ad admirationem ingenii humani impulsus magnas ejus facultates sollertiamque hominis, qui multa invenerit seque terrarum dominum fecerit, splendidissimis exornat laudibus.[19]) Quod Sacra Scriptura docet[b] hominem ita natum esse, ut in rerum natura dominaretur, idem hoc carmine Sophocles copiose explicat. Sed ut Sacra Scriptura, quid causae sit cur mortales ad hunc finem non prorsus accedant, ostendit, ita Sophocles eodem carmine, hominem, qui ingenii acumine gravium morborum remedia invenerit, mortem effugere non posse eundemque saepe ad pravitatem delabi atque ad leges civitatis violandas induci deplorat. Ita fit, ut poëta etiam his laudibus, quibus ingenii humani praestantiam celebrat, querelas de naturae humanae imbecillitate immisceat. Atque hunc fragilitatis humanae atque inopiae sensum quum omni religioni tum Christianae subesse nemo est qui infitietur. Quamquam ex hoc sensu non necessario oritur religio. Sunt qui inde, ut ait Apostolus, illud sibi praecipiant: „Manducemus et bibamus; cras enim moriemur".[c] Quae ratio prorsus aliena est a religione. Neque propius accedunt ad veram religionem Epicurei aut Stoici, qui

a) Ciceron. Tuscul. I, 48.

b) Genes. 1, 26.

c) 1. ad Corinth. 15, 32; Jes. 22, 13; 56, 12.

eum sapientem effingant, qui sua sponte dolorem contemnat ac pro nihilo ducat.[a] Sed apud Sophoclem talia commenta vix reperiuntur, non Horatianum illud: „Carpe diem, quam minimum credula postero“ (Carm. I, 11, 7).[b] Et secundas res et adversas divinitus humano generi immitti docet poëta;[21]) hominem decere eas modeste ferre, quod dicit *θνητὰ φρονεῖν*, Fragm. 515,[c] *κατ' ἄνθρωπον φρονεῖν*, Ajax 777.[22]) Atque hanc potissimum virtutem, quam Graeci *σωφροσύνην* dicunt, poëta *εὐσεβείας*, pietatis, propriam esse dicit.[d] Veluti in Electra[23]) chorus Electram praedicat, quippe quae, quamvis misera vitae sorte utatur, tamen in colendis quae summae sunt legibus primas ferat propter suam adversus Jovem pietatem (Wunder ad h. l.). Atque etiam illa de malorum vi ac potestate doctrina, quam proponit Paulus Apostolus ad Roman. 8, 28 (cfr. ad Hebr. 12, 6—8. 11), homines, qui Deum diligant, etiam malis, quae a Deo mittantur, meliores reddi, apud Sophoclem quodammodo inveniri videtur.[e] Oedipus Coloneus, malis edoctus, multo mitiori est ingenio quam Oedipus Rex. Modestum ac parvis rebus contentum esse mala mea me docent, inquit Oedip. Colon. v. 7. 8; cfr. Oed. Col. v. 562—568; Fragm. 581.[24])

Jam vero accedamus ad alteram causam, cur in Sophoclis de natura hominum doctrina multa inesse dicamus, quae a doctrina Christiana non longe abhorreant. Id

---

a) Cicer. Tuscul. IV, 17, 37: „Ergo is, quisquis est, qui moderatione et constantia quietus animo est, sibique ipse placatus, ut nec tabescat molestiis, nec frangatur timore, nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, quem quaerimus, is est beatus: cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis laetabile ad efferendum videri potest.“

b) Jocaste quidem, quum Oedipus nuntio accepto, Polybum mortuum esse, hoc quidem metu liberatus, tamen, quia, ne matrem in matrimonium sit ducturus, verendum sit, non omnis curae se expertem esse dicat, uxorem admonet, ut, de rebus futuris minus sollicitus, praesentibus fruatur.[20]) Sed hoc non ipsum poëtam docuisse facile intellexeris.

c) Fragm. 515: *Θνητὰ φρονεῖν χρὴ θνητὴν φύσιν*
τοῦτο κατειδότας, ὡς οὐκ ἔστιν
πλὴν Διὸς οὐδεὶς τῶν μελλόντων
ταμίας, ὅ, τι χρὴ τετελέσθαι.

Fragm. 749: *Θεοῦ τὸ δῶρον τοῦτο· χρὴ δ' ὅσ' ἂν θεοὶ*
διδῶσι, φεύγειν μηδέν, ὦ τέκνον, ποτέ.

d) Dronke pag. 66.

e) Dronke p. 84.

enim est proprium tragoediae, inquit Aristoteles,[a] ut homines non sine sua culpa accipere calamitatem ostendat. Homines, quorum sortem nobis depingit Sophocles, ut non omni ex parte scelesti sunt, ita virtute ceteris mortalibus non tantopere praestant, ut non culpa quadam sive errore *(δι' ἁμαρτίαν τινά)* quae iis divinitus immittuntur mala quodammodo mereantur. Quam rem ut nonnullis comprobem exemplis, Ajax se non minus fortiter quam patrem suum dimicasse recte gloriatur; Achilles si cui vivus arma sua ad virtutem honorandam concedere voluisset, semet ipsum accepturum fuisse confidit; sed haec nimia virium ac dignitatis fiducia culpae ei danda est; quam ut agnoscat tantum abest, ut Atridarum et Minervae invidia honores, quibus omnium dignissimus esse sibi videtur, sibi ereptos esse conqueratur. Ajax, quod in eo minus *σωφροσύνη* quam *ὕβρις* conspicitur, in invidiam incurrit et Deorum et hominum.[25]) In Trachiniis neque Herculem neque Deianiram a culpa abfuisse facile concedas. Deianira enim eo consilio, ut uxoris amorem sibi conciliet, minus caute Centauri dono utitur: atque haec ejus *ἁμαρτία* efficit, ut et se et Herculem perdat. Philocteten dixerit quispiam omnino innocentem tantis malis obrutum fuisse. Atque haec est Dronkii sententia.[b] Aliter hac de re Lessingius judicat:[c] illud vulnus, causam malorum, Philoctetae inflictum esse, ut propter culpam aliquam puniretur. Ac recte mihi Lessingius judicasse videtur, ut semper fere de talibus rebus. Philoctetae prima causa malorum est, quod ad illud altare accessit, ad quod accedere nefas erat.[d] Quam levem causam malorum negligens chorus quidem in illo carmine, quod supra attuli,[e] Philocteten, qui

a) Poëtic. c. XIII.: *Ἔστι δὲ τοιοῦτος* (qui in tragoediam recte admittitur) *ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνῃ, μήτε διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν, ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινά, τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων καὶ εὐτυχίᾳ, οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης καὶ οἱ ἐκ τῶν τοιούτων γενῶν ἐπιφανεῖς ἄνδρες. — Δῆλον ὅτι οὔτε τοὺς ἐπιεικεῖς ἄνδρας δεῖ μεταβάλλοντας φαίνεσθαι ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν (οὐ γὰρ φοβερὸν οὐδὲ ἐλεεινὸν τοῦτο, ἀλλὰ μιαρόν ἐστιν), οὔτε τοὺς μοχθηροὺς ἐξ ἀτυχίας εἰς εὐτυχίαν (ἀτραγῳδότατον γὰρ τοῦτ' ἔστι πάντων· οὐδὲν γὰρ ἔχει ὧν δεῖ· οὔτε γὰρ φιλάνθρωπον οὔτε ἐλεεινὸν οὔτε φοβερόν ἐστιν), οὐδ' αὖ τὸν σφόδρα πονηρὸν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυστυχίαν μεταπίπτειν. τὸ μὲν γὰρ φιλάνθρωπον ἔχοι ἂν ἡ τοιαύτη σύστασις, ἀλλ' οὔτε ἔλεον οὔτε φόβον· ὁ μὲν γὰρ περὶ τὸν ἀνάξιόν ἐστι δυστυχοῦντα, ὁ δὲ περὶ τὸν ὅμοιον, ἔλεος μὲν περὶ τὸν ἀνάξιον, φόβος δὲ περὶ τὸν ὅμοιον,* cfr. Lessing. Dramaturg. Hamburg. c. 76.

b) Dronke p. 67.

c) Laocoont. IV, 1: „Und diese Wunde war ein göttliches Strafgericht."

d) Wunder ad Philoctet. 1299.

e) Philoctet. 662—673.

non tanta scelera ac flagitia commiserit quanta Ixion, ἀναξίως vel ut alii legunt ἀτίμως interire recte dicit. Sed non sine aliqua culpa Philocteten illa malorum mole gravari, ex Neoptolemi oratione intelligitur.[26]) Philoctetes enim injuriarum ab Achivis illatarum adeo memor est, ut inimicitias rei publicae condonare nolit. Atque haec quoque est causa, cur Philocteten in magnis aerumnis merito versari dicamus. Oedipum Regem multi quidem, quod sic fuerit in fatis, non sua culpa quadam tanta scelera ac flagitia commisisse volunt. Neque est dubitandum, quin Sophocles idem quod invenimus Exod. 20, 6: „quae parentes peccaverint, ea liberos et nepotes luere debere“[a] horrendo ac tristissimo Oedipi exemplo nobis depinxerit.[27]) Sed in Oedipo quoque ἁμαρτίαν τινά, levitatem quandam animi atque iracundiam, qua oraculorum minas ea qua debebat prudentia ac diligentia a se avertere prohibebatur, causam malorum fuisse quis est qui neget? Sed de hac Oedipi culpa, quum accurata rei disquisitio longiorem requirat disputationem,[c] hoc loco copiosius exponere nolo. Antigonae nemo est qui non admiretur pietatem, constantiam, fortitudinem. Sunt quaedam leges non scriptae, sed natae,[b] aeternae, hominis pectori a Deo infixae, inquit Antigone,[28]) quarum legum

---

a) Piderit: „Die gewaltige Thatsache sowohl von dem Forterben des Fluches der Sündenthat von den Eltern auf die Kinder, so daß diese mitzubüßen haben, was jene verbrochen, als auch von der Ansteckung dessen, der in die fluchbeladene Gemeinschaft tritt, ist dem Griechen nicht verborgen geblieben; und insofern ist diese heidnische Erkenntniß über die Oberflächlichkeit eines modernen Atomismus weit erhaben.“ Sophokleische Studien S. 25. Hanau 1856. Schulprogr.

b) Geffers: De Oedipi Sophoclei culpa; Theodorus Kock: Ueber den Aristotelischen Begriff der Katharsis und die Anwendung desselben auf den König Oedipus. Elbingen $185^{1}/_{2}$. Schulprogr. „Bei aller Klugheit und Herzensgüte, bei allen andern trefflichen Eigenschaften des Geistes und Gemüthes haftet dem Oedipus ganz nach der Forderung des Aristoteles ein scheinbar unbedeutender Fehler an, aus dem sich aber all sein Unglück wie in einer nothwendigen Schlußfolge entwickelt. Es ist dies seine übermäßige Leidenschaftlichkeit, das heftige, selbst durch das Alter nicht zu dämpfende Aufbrausen eines edlen, aber auch wilden und ungebändigten Geistes, der im Vertrauen auf eigene Kraft und eigene Klugheit die ersten Entschlüsse auch immer für die besten hält. Aus diesem Fehler entwickeln sich leicht die andern verderblichen Eigenschaften, welche der Dichter mit den lebhaftesten Farben gemalt und deutlich genug als die wahren Ursachen seiner Leiden dargestellt hat: nämlich ein Staunen erregender Leichtsinn, eine grenzenlose Unbesonnenheit, die ihn hindert bei den deutlichsten Fingerzeigen des Schicksals die Warnung zu verstehen, die ihm gegeben werden soll; die Neigung zu Mißtrauen und Argwohn, die ihn blind macht für die Wahrheit und taub für die Gerechtigkeit, die seine nächsten Angehörigen, seine treuesten Freunde nicht verschont; ferner in schwierigen Fällen, in denen seine menschliche Weisheit zu Schanden wird, eine auffallende Rathlosigkeit und Unsicherheit; und daneben wieder ein ungewöhnlicher Eigendünkel, eine unselige Selbstüberhebung, die Freundesrath und selbst des Götterboten Warnungen an seinem Ohr verhallen läßt.“ Kock p. 53.

c) Cicer. pro Milone c. 4.

violatarum ego ut poenas diis expendam, nullius hominis metu adduci debeo.[a] Atque hac bene facti conscientia regis voluntati fortissime repugnat: nec tamen Antigone, quamquam praeclarissimis virtutibus ornata, omni culpa vacua est: quum enim paullo duriori ac ferociori sit ingenio, Ismenen sororem, mitiora suadentem, aspernatur, unde fit, ut a choro et a Creonte non injuria vituperetur.[29 b]) Creon quum saluti rei publicae optime consulere sibi videretur, inconsiderate, impie, magnanimo viro indigne fecit, quod eadem nocte, qua Argivi ab urbe repulsi erant, priusquam diis pro servata civitate supplicationem decerneret, Polynicen, qui suam adversus patriam impietatem morte luerat, sepeliri vetuit. Inde omnium malorum origo, quae Polynice occiso Oedipi et Creontis domum pervastant.[c]

Contemplantes igitur hominum mores, quales a Sophocle in tragoediis effinguntur, omnes mortales vitiis atque culpa affectos esse videmus. Etiam optimi homines in tales errores ac vitia facile incurrunt, ut diris poenis a diis affligantur. Homines esse *σκεύη ὀργῆς*, ut ait Apostolus;[d] *ἀποκαλύπτεται γὰρ ὀργὴ θεοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀσέβειαν καὶ ἀδικίαν ἀνθρώπων*,[e] haec Apostoli dicta a Sophocle quam maxime comprobantur. Itaque negare non possumus, Sophoclem, etiamsi peccati naturam non penitus perspexerit,

---

a) Wunder ad Antigon. 456.

b) K. O. Müller: „Der harte, unbeugsame Wille der Antigone erkennt keine Rücksicht an und verschmäht alle sanfteren Mittel. Darin liegt eine Schuld, die Sophokles nicht verhüllt; aber gerade dadurch ist Antigone eine höchst tragische Person, daß sie in der Schuld uns so höchst erhaben und liebenswürdig erscheint.“ Geschichte der griechischen Litteratur II. S. 120.

c) Schneidewin: „Kreon ist keinesweges von Haus aus und aus Grundsatz böse und gottlos; er hat nicht berechnet, wohin sein Befehl führen sollte. Der Dichter stellt ihn als einen Mann dar, welcher *τῶν ἀρίστων ἅπτεσθαι βουλευμάτων* entschlossen sich gewisse Grundsätze bildet und denselben als untrüglichen Leitern mit Festigkeit zu folgen beabsichtigt, der aber bei seiner Beschränktheit und Reizbarkeit in der Anwendung derselben der *ἀβουλία* verfällt. Gewiß sind seine Prinzipien, daß der Staat den Freund vor dem Feind ehren müsse, daß persönliche Verhältnisse den Staatsmann in seinen Anordnungen nicht beirren dürfen,[30]) wahr und löblich: aber unbedachtsam zur Anwendung gebracht, kann das beste Recht das größte Unrecht werden, sobald es bei schwierigen Conflicten des Lebens und gleich festen Charakteren gegenüber auf allseitiges Erwägen der Umstände ankommt. Auf der Durchsetzung des Verbotes gegen Polynikes besteht Kreon aller Warnungen ungeachtet mit um so hartnäckigerer Verblendung, weil er darin eine Lebensfrage seiner Herrschaft sieht: klopft auch sein Gewissen an, den Irrthum einzugestehen schämt er sich, um sich nicht bloß zu stellen, und nur in seiner schwankenden Handlungsweise tritt unwillkürlich die innere Stimmung zu Tage. Einleitung zur Antigone. S. 25—28.

d) ad Roman. 9, 22.

e) ad Roman. 1, 18.

tamen a vero non prorsus alienum esse. Peccatum Sophocli est labes quaedam, quae etiamsi in quibusdam hominibus clarius conspicitur, omnes tamen mortales quodammodo invasit. Peccata a diis gravissimis poenis affici, idem Sophocles docet; ne quis putet scelere commisso se omni culpa vacare, Oedipi exemplo luculentissime monstrat. Totam igitur hominum vitam miseriis immersam esse ex Sophoclis tragoediis discimus. Quas Psalmista[a] et Apostolus[b] de naturae humanae fragilitate et debilitate querelas edunt, iis Sophoclis resonant tragoediae. Severa ac dira numina Deorum ex iis cognoscimus, sed eo solatio caremus, quod misero hominum generi per Christum offertur. Apud Sophoclem neque immortalitatis aut beatae bonorum hominum mortuorum vitae spes[c] effulget, neque Deorum clementia aut Dei totum humanum genus complectentis amor conspicitur, quamquam homines singuli singulorum Deorum auxilio nituntur, ut Ulysses Minervae. Itaque recte dicere possumus, ut in libris Veteris Testamenti, ita in Aeschyli, Sophoclis, Platonis, aliorum scriptorum antiquorum libris legem divinam nobis ita apparere, ut ea ad doctrinam Christianam adducamur, ut sit quodammodo *παιδαγωγὸς εἰς Χριστόν.*[d] Ac si quis doctrinam Christianam penitus

---

a) Psalm. 90, 5—12; 103, 15. 16.

b) ad Roman. 7, 24,

c) Speciosius quam verius hac de re Pressensé: „Der religiöse Hauch, der Sophokles beseelt, leuchtet mit unvergleichlicher Schönheit aus den letzten Worten des Oedipus hervor, da, als dem alten flüchtigen Könige in der Finsterniß des Todes eine geheimnißvolle Klarheit erscheint, die seine erloschenen Augen erleuchtet und ihm die Verheißung einer seligen Unsterblichkeit bringt." Geschichte der drei ersten Jahrhunderte der christlichen Kirche, übersetzt von Fabarius, Th. I., S. 71.

